

C Y P R V S.

C Y P R V S inter maiores maris Mediterranei Insulas locum sibi vendicat. Tota Insulæ figura parte altera longior est. Huius Metropolis & Regia, est Nicosia. Est & Famagosta Vrbs nobilissima, & totius Insulæ Emporium, portu & vextigalibus diues. Nulla Insularum est inferior; nam & vino abundat, & oleo, frumenti quoque satis habet. Æris etiam metalla in ea fuerunt, in quibus vitriolum & rubigo æris nascebatur, ad Medicinæ vsum idonea. Canna mellis multa in ea reperitur, ex qua faccarum excoquitur. Ex pilis quoque caprarum, pannus conficitur, cui Zambelloto nostra ætas nomen dedit. Multas res Insula ad alias gentes mittit, ex quibus lucra non pauca redundant. Alienis non multum eget, sed aërem parum salubrem habet. Tota Insula deliciis incumbit: foeminae admodum lasciuæ sunt. Habet Insula in circuitu quadringenta & viginti septem millia passuum, in longitudine verò ducenta, Bordonio teste. Veneti eam iure hæreditario possident, eamque per Prætorem administrant. Ex veteribus eam scriptis suis celebrarunt, Strabo; Mela; & ceteri Geographi. Ex Neotericis Benedictus Bordonius, in suo opere Insulari, Vadianus; Pius. II. Pontifex; & Dominicus Niger. Hæc Cyprus tam eximiæ fertilitatis olim fuit, ut Macaria, id est, beata, dicta sit; & tantoperè luxuriæ dedita, ut ob id Veneri sacra credita sit.

C A N D I A , o l i m C R E T A .

C R E T A M hodie Candiam vocant, maior est Cypro, minor autem Sicilia & Sardinia; quibus solis in toto mari Mediterraneo cedit; interim nobilitate & fertilitate par omnibus. Olim centum vrbibus claram fuisse scriptores tradunt: earum circiter quadraginta Plinij ætas nouit; hodie verò Bellonio Auctore, tres tantum alicuius nominis habet; quæ sunt, *Candia*, *Venetorum* ^{olin} *cōlonia*, vnde Insulæ nomen, *Canea*, & *Rhetimo*. Ambitus Insulæ quingentarum viginti millium paßuum est. Vbiique montosa, obque id incolæ admodum venerationibus addicti. Nullus inibi nauigabilis fluuius. Sed neque noxiū animal gignit. Hanc Insulam nobilem, & toto terrarum Orbe cognitam, facit optimum vinum, quod incolæ Maluasiā vocant; indeque per omnes Orbis ferè partes auebitur. Cupressorum arborum ad naues fabricandas, hic maxima copia. Hodie ^{Turci} Venetis paret. Ioui olim consecrata fuit, quod eum hic natum alitumque credit antiquitas. Strabo inter Veteres hanc diligenter descripsit; inter Neotericos verò Dominicus Niger; Vadianus; Benedictus Bordonius. Sed nostra ætate omnium optimè Bellonius in suis obseruationibus, vt qui diligentissime eam perlustrauerit.



